

IX.

Anweisungen und Formulare für einen päpstlichen Exekutor O. de . . , Kanoniker in Veroli, der einen von Urban (IV.) providierten Kleriker Iacobus in den Besitz seiner Pfründe gelangen lassen soll. Vielleicht Bruchstück aus einem prozessualistischen Traktat.

(4. IX. 1262—3. IX. 1263) ¹⁾.

Hs. fol. 27^b.

Primo represententur littere executorie et fiat inde publicum instrumentum et ipse scribat abbati sub hac forma:

Venerabili in Christo patri domino H. abbati monasterii de . . O. de . . canonicus Verulanus salutem in Domino. Noveritis nos recepisse litteras apostolicas sub hac forma: Urbanus etc. usque anno secundo. Verum quia a vobis vel ab alio de mandato vestro iamdictum beneficium retinetur, ut dicitur, discretioni vestre auctoritate, qua fungimur in hac parte, precipiendo mandamus, quatenus, si in dicto beneficio ius aliquod creditis vos habere, die tali compareatis per vos vel per alium coram nobis ius huiusmodi, si quod poteritis, ostensuri.

Adveniente vero termino, sive abbas vel eius nuntius veniat sive non, porrigatur petitio pro parte Iacobi in hec verba:

Petit P. procurator Iacobi . . dyocesis conferri et assignari sibi per nos dominum ^{a)} O. canonicum Verulanum beneficium, quod condam N. in . . ecclesia tenuit et quod tanto tempore de iure vacavit, quod ad sedem apostolicam eius est collatio devoluta, ac in eius corporalem possessionem induci et deffendi ac amoveri exinde venerabilem patrem . . abbatem . . monasterii et quemlibet alium detentorem iuxta tenorem litterarum domini pape nobis super hoc directarum.

Quod si abbas probaverit se habere aliquod privilegium apostolicum super detentione ^{b)} ipsius beneficii, executor supersedeat, donec super hoc consulat iurisperitos. Tunc autem procedat executor ad receptionem testium super vacatione ipsius beneficii et super eo, quod dictus N. illud tenuit, et postmodum ad collationem sic:

Cum dominus papa nobis suis dederit litteris in mandatis sub certa forma, ut beneficium, quod quondam N. in . . ecclesia . . dyocesis obtinuit, Iacobo clerico de . . conferremus amoto ab eo quolibet illicito detentore, prout in dictis litteris plenius continetur, nos venerabili patri abbati . . monasterii, per quem seu de cuius mandato dicebatur dictum beneficium detineri, mandavimus, ut compareret certo termino coram

^{a)} domine *Hs.* ^{b)} folgt super detentione (!) *Hs.*

¹⁾ *Zum Inhalt und zur Datierung oben S. 183 Nr. 81.*